Fragmentarium

Torcular calcavi solus: et de gentibus non est mecum. Calcavi eos in furore meo: et conculcavi eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea: et omnia indumenta mea coinquinavi. Dies enim ultionis in corde meo: annus redemptionis mee venit. Circumspexi et non erat auxiliator: quesivi et non erat qui adiuvaret. et salvabit michi brachium meum. Miserationum domini recordabor: laudem domini super omnia que reddidit nobis dominus deus noster. [illegible]

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Or. Deus qui pro nobis filium tuum crucis patibulum subire voluisti: ut inimici a nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis. ut resurrectionis eius gratiam consequamur. Per.

Lectio ysaie prophete. In diebus illis: Dixit ysaias. Domine: quis credidit auditui nostro: et brachium domini cui revelatum est. Et ascendit sicut virgultum coram eo: et sicut radix de terra sitienti. Et non est species ei neque decor: et vidimus eum et non erat aspectus. et desideravimus eum despectum et novissimum virorum: virum dolorum et scientem infirmitatem. et quasi absconditus vultus eius. atque despectus: unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit: et dolores nostros ipse portavit. Et

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 380, 1r – Missale
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-wx5a/299/3360)